



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De clerico necromantico mortuo, qui viue[n]t: socio appare[n]s, suasit  
ordinem intrare, cap. 33.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

fulceptam deducebant, deductam tam crudeliter extorquebant. Dicebat magister Rudolphus Scholasticus Coloniensis, in cuius scholis & ego frequentius eram, quòd dæmones animam electam de corporis ergastulo egredientem nunquam tangerent, sed beati angeli ad loca purgatorii, si tamen digna esset purgatorio, deportarent: tali enim exèplo utebatur; Non decet, ait, vt carbonarius purget aurum, sed aurifex. Postea verò propter meritum vitæ suscitatus, factus est Abbas in Morimunde, in vna de quatuor primis domibus, vir sanctus & iustus. De quo cum interrogassem prædictum Hermannum Abbatem, si viderit illum aliquando ridentem, quia de resurgentibus dicitur, quòd ridere non soleant. Respondit: Scias me hoc ipsum in illo considerasse, nec potui deprehendere in gestibus eius nutum quidem leuitatis, tantæ erat grauitatis, tantæ longanimitatis: nunquam illum vidi, ne quidem subridentem, neque verba leuitatis proferentem. APOLLONIVS: Miror si aliquid dixerit de forma & virtute animæ. CÆSARIVS: Etiam, asseribat animam suam fuisse tâquam vas vitreum & sphericum, oculatam retro & antè, plurimū habuisse sciëntiæ, vidisse vniuersa. Nam scholaribus circa feretrum sedentibus, quæcunque actitauerant manifestauit; Vos inquit tesseriis lusistis, vos inuicem capillis traxistis, vos diligenter psallebatis. APOLLONIVS: Valde me lætificat, quòd vir iste, qui corpore exutus tanta in pœnis vidit, tanta audiuit, cæteris religiosis ordinibus omissis, ordinem nostrum intrare voluit. CÆSARIVS: Meritò lætificare te debet, sed aliud tibi dicam, quod eandem tuam lætitiã geminet.

## CAPVT XXXIII.

**D**vo iuuenes, sicut didici lectione, non relatione, apud Toletum studebant in necromãtia; accidit vt vnus illorum vsque ad mortem infirmaretur, qui cū moriturus esset, rogauit alter, vt infra viginti dies sibi appareret, & promisit, si tamè sibi concederetur. Sedete eo die quadã in Ecclesia corã imagine

imagine beatae Virginis, & Psalms pro anima illius  
 legente, affuit miser ille, miserimis gemitibus sua in-  
 dicans tormenta; quem cum interrogasset, ubi esset,  
 vel quomodo haberet, respondit; Væ mihi, quia æter-  
 naliter damnatus sum, propter artem, quam didici  
 diabolicam; quia reuera mors animæ est, sicut titulus  
 eius ostendit: consulo autem tibi tanquam socio meo  
 vnico, vt ab hac execrabili scientia recedas, & vitam  
 religiosam sectando, Deo pro peccatis satisfacias. Quæ  
 cum viuus interrogasset, vt tutiorem sibi viam viuendi  
 ostenderet, iterum respondit: Non est via securior,  
 quam ordo Cisterciensis, neque inter omne genus ho-  
 minum pauciores descendunt ad inferos, quam per-  
 sonæ religionis illius. Retulit ei & alia plurima, que  
 causa breuitatis omitto, eo quod in libro visionum  
 Clareuallis scripta sunt. Iuuenis verò mox renunci-  
 ans necromatiæ, factus est nouitius, ac deinde monachus  
 in ordine Cisterciensi. APOLLONIVS: Fateor in hoc fa-  
 cto lætitiâ cordis mei geminatam. CÆSARIUS: Quia  
 in ore duorum vel trium testiû stabit omne verbum;  
 vis audire de tertio clerico penè simili modo cõuersos?  
 APOLLONIVS: Volo ac plurimum desidero.

Mat. 18.

CAPVT XXXIII.

CÆSARIUS.

**N**ARRANTE mihi sapius sene monacho nostro  
 Conrado, qui penè centenarius est, cuius su-  
 pra feci mentionem, didici quod refero: ipse  
 quidem de Thuringia oriundus, & in armis ante con-  
 uersionem exercitatus, multa nouit de actibus Lodo-  
 uici Lantgrauii, de quo supra cap. xxvij. longam texui  
 narrationem; hic cum moreretur, duos filios reliquit  
 hæredes, Lodouicum scilicet, qui in prima expedi-  
 tione Ierosolymitana, quæ facta est temporibus Fre-  
 derici Imperatoris, defunctus est, & Hermannum, qui  
 eidem in principatu successit, qui nuper obiit. Lodo-  
 uicus verò, qui satis erat tractabilis, & humanus, &  
 vt veriùs dicam, cæteris tyrannis minùs malus, tale  
 edictum proposuit; Si modò aliquis esset, inquit, qui  
 veris indicijs verâ mihi de anima patris mei dicere  
 posset,